DISSERTATIO JURIDICA,

De

ADULTERO IMPUNITO,

Quam


DEO Adjuvante,

SUB

Ductu & Moderamine

DN. JOHANNIS TESMARI,

JCti & Antecessoris in Alma Cattorum,



Pro virili publicè defendendam suscipiet

GEORGIUS Berghoffer/

Alsfeldiá-Hassus.

Ad diem Aprilis H. L. Q. S.

Marburgi Cattorumm,


Typis JOH. JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXXXV.

PATRONIS

ATQUE

MATRONIS.



ADULTER IMPUNITUS,

Sive

Dissertatio in L. 29. C. de adult.

Quæ, ita se habet:



Va adulterium commisit, utrum Domina caupona, an ministra fuerit, requiri debebit, & ita obsequio famulata servili, ut plerumq; ipsa intemperantiæ vina præbuerit: ut si Domina tabernæ fuerit, non sit à vinculis juris excepta. Si verò potantibus ministerium præbuerit, pro vilitate ejus, quæ in reatum deducitur, accusatione exclusa, liberi qui accusantur, abscedant: cum ab his fœminis pudicitiæ ratio requiratur, quæ juris nexibus detinentur, & matris familias nomen obtinent. Hæ autem immunes à judiciaria severitate & stupri & adulterii præstentur, quas vitæ utilitas dignas legum observatione non credidit.

Multis illa est offendiculo, crediturque quid continere ejusmodi, quod pietati & justitiæ est contrarium; castitatem enim, pudicitiamque, præcipuam Christiani hominis virtutem, non ab omnibus, ut debebat, sed à solis exigere videtur matronis; punireque violationem thori non semper, sed tunc demum, quando nobilior persona venit in reatum. Cæterum non est, quare quid

 gravius,

gravius, iniquiusque seu de innocenti hac lege, seu de castissimo ejus auctore statuamus: Constat utrique sua ratio; namq; & lex sana, salubris & egregia est; & Princeps non eversor, sed conservator pudicitiæ; non qui impunitos dimittit adulteros, sed qui graviter, & quod amplius est, *secundùm leges divinas*, in eos animadvertit. Ad rem igitur.

Lata illa primùm est à Constantino M. postquam ille discussis gentilium tenebris, abjectâque profanitate, fidem & Evangelium fuerat amplexus, anno videlicet instauratæ salutis CCCXXVI. aut, secundùm fastos Græcorum CCCXXVII. Imperii ejus XX. Constantino A. VII. & Constantino C. IV. Coss. Ut non inepte mirari videantur illi, qui legem hanc, tanquam incivilem & impiam, tollendam ajunt, resecandamque ex communi & sacrato eorum ordine, quomodo salvâ pietate, salvâ justitiâ tam insolens regula tradi potuerit; præsertim ab eo Principe, cujus auspiciis habita fuit Synodus Nicæa, quo præeunte tam acriter fuit pugnatum adversus gentiles non tantùm, sed & hereticos, Donatum, Arium, similesque; & quidem eo tempore, quo doctrina Christi, tanquam castissima virgo, contra furorem & impetum tot impudicorum procum erat munienda; quo non atrocia tantùm illa, & contra naturam ipsam tendentia, sed ea quoque vitia erant reprimenda, quæ oculis, quæ corde & sola cogitatione, adeoque legibus gentium impunita *l. 19. ff. de pœn.* committebantur.

Ait ergo, *quæ adulterium commisit*, id est datam conjugii fidem violavit, conscendendo thorum, à quo secundùm divinas, humanasque leges abstinere debebat. Neque enim hic loci cum Anonimo quodam, qui non ita

ita pridem ivit in lucem, disputare prolixius volumus, in quo natura & essentia adulterii consistat; num in sola libidine & intemperantia, prout communis fert opinio; num verò in dissociatione quoque & violenta corporis, animique abstractione ab eo, cui æternam, ut sic dicam, fidem, cui perpetuam promisisti cohabitationem.

Quando autem dicitur, *quæ commisit adulterium*, intelligere id non debemus de solis fæminis, exclusis maribus, sed utrumque merito complecti sexum. Quamvis enim vulgari modo loquendi particula *quis, qui*, non masculos tantùm, sed & fœminas comprehendat, *l. 1. ff. de verb. signif. l. 3. §. 1 ff. de neg. gest. Cic. in orat. pro Cluent.* contra verò sub vocula *quæ*, fæmina tantum plerumq; comprehendatur; cùm exemplo sit pessimum, teste JCto in *l. 45. pr. ff. de Legat. 2. l. 81. pr. ff. de Lege 3.* fœminino vocabulo etiam contineri masculos. Secus tamen existimo, & particulam per se & suâ naturâ fœmineam, mares quoque includere, quando de regendis moribus, de compescendis affectibus, imò de pœnis & premiis, uti in hac lege, agitur. Allegari in hanc sententiam solet *l. 3 l. 5. C. de secund. nupt.* ubi pænæ secundis nuptiis in fæminas constitutæ, ad viros quoque extenduntur. *Adde Gaill 2. Obs. 98. n. 3. Wissenb. ad l. 1. ff. de V. S. n. 16.* Et quid mirum; æque enim vir, quàm mulier castitatis regulæ est adstrictus; non minus pudicitiæ ratio ab uno, quàm ab altero sexu requiritur. Hieronymus ad Oceanum de morte Fabiolæ: *Quicquid viris jubetur, hoc consequenter redundat in fæminas, neque enim adultera uxor dimittenda est, & vir mæchus retinendus.* Et paulo post: *Apud nos, quod non licet fæminis, æque non licet viris, & eadem servitus pari conditione censetur.*

 Pergit

Pergit Constantinus, & in cognitionem trahendum ante omnia censet, priusquam sententia feratur, utrum adulterii rea *Domina sit caupona*, vel *Cauponia*, uti habet codex Theodosii, *an ministra*.

Ministra cauponæ hic est humilis, abjectaque persona, ministerio seu peregrinantium, seu compotantium in diversoriis publicis vacans: per dominam verò hic intelligi potest seu illa, quæ Domina ejus quidem est, at eam in persona non exercet; prout multi illustrioris quoque ordinis viri, matronæque Domini quidem, Dominæque cauponarum sunt, at non earum exercitores: In quam sententiam capio *l. 27. §. 1. ff. de heredit. pet.* ubi dicitur, *in multorum honestorum virorum prædiis exerceri lupanaria*; quatenus videlicet honesti quidem illi viri Domini sunt prædiorum, at non exercitores: cùm alias fieri nequaquam posset, ut quis exerceret in prædio lupanar, & nihilominus maneret vir honestus. Aut etiam ejusmodi quædam, quæ cauponam conduxit, emitque, & eam exercet, non quidē, instar famulæ, vilia quælibet faciens ministeria, sed rei prospiciens œconomicæ, rejectis sordibus in famulos & ancillas. Est enim res cauponaria, qua talis, ex genere permissorum, minimeque gentium pugnat, esse honestam, virtuosamque matronam & vacare usui & recreationi peregrinantium, hospitumque: quippe, si doliet rapinæ absint, nihil aliud sunt hospitia ejusmodi publica, quàm receptaculum hominum egentium, illorumque, qui destituti certa sede, necessariisque ad tolerandam vitam mediis, recreandi omnino sunt. Antiquissimis quidem temporibus cauponæ, sive hospitia ejusmodi in usu, saltem ita uti nunc, minime erant; sed divertendum in peregrinationibus

erat

erat vel apud amicum quendam, cum quo hoſpitii jus intercedebat, vel ſub cœlo, extraque tecta erat commorandum; prout paſſim, & inprimis quoque ex hiſtoria ſacra facilè colligitur. vide *Iud. C.19. v.15. Gen.28.11.* Græcis igitur, politisque ejusmodi gentibus acceptum ferre debemus, quod publicæ cauponæ, in quas divertere fatigatis viatoribus fas eſt, erectæ ſint: fit earum mentio apud *Demoſthenem de libertate Rhodiorum*, apud *Ciceronem de officiis 2.18.* apud *Thucydidem de bello Pelop. 3. p. m.* 172. & plures alios; at cum de cauponis ſeu hoſpitiis ejusmodi publicis brevi mentem noſtram plenius ſimus reddituri, hîc nihil aliud ſubjungemus, præter unicum hoc, videlicet cum judicio & moderatione capiendum eſſe, quod ex *Concilii Laodicenſis Can. 24. in diſtinctionem 14. C.2.* relatum eſt, ſcilicet *non oportere Clericum, ordinisq́ue Eccleſiaſtici Viros intrare cauponas ſeu tabernas*: ſunt etenim honeſtæ quoque tabernæ & admodum neceſſariæ; nec infamat ingreſſus in cauponam qua talis, ſed mala intentio, perverſaque ingrediendi eam ratio.

In ſumma, pertinet ad officiũ judicis, quando de adulterii crimine agitur, ut fideliter inquirat in conditionem perſonæ, ſitne illa ancilla vel domina, libera & ſui juris, an poteſtati alienæ ſubjecta: imo, & quod mirandum ſane eſt, turpis, vilisque, an honeſtæ vitæ. Sequitur mox hujus rei ratio, quare in quæſtione de adulterio diſcernenda ſit Domina, & miniſtra cauponæ; videlicet miniſtram *obſequio famulari ſervili, & plerumque intemperantiæ vina præbere*; hoc verò ſecus eſſe in Domina. Duplex cauſa, adeoq; duplex ejus examen inſtituendum. Et primã quod attinet, *famulari miniſtrã obſequio ſervili*, dico, & quidem non invitâ lege, malè illam facere, quòd famuletur,

 tur,

tur, nō dicam servili, sed turpi potius ministerio. Quamvis enim in omnia, quæ sub mensuram humanæ imbecillitatis cadunt, ministerium ancilla debeat hero suo; non opinor tamen eousque hanc extendi necessitatem, ut pudicitiam quoque ei subjiceat; quippe peccatum illud involvit, à quo, ut abstineat, lege jubetur divina, quæ omni humano imperio longe fortior est. Egregie ICtus Alphenus in l. 20. ff. de obligat. & act. *Servus non in omnibus rebus sine pœna Domino dicto audiens esse solet, sicuti si Dominus hominem occidere, aut furtum alieni facere servum jussisset. Quare quamvis Domini jussu servus piraticam fecisset, judicium in eum post libertatem reddi oportet.* Et Senec 3. de benef. 20. *Non omnia aut nos jubere possumus aut in omnia servi parere coguntur: contra Rempublicam imperata non facient, nulli sceleri manus commendabunt.* Et Plinius lib. 3. Ep. 9. *Necessarium credidi elaborare, ut constaret, ministerium crimen esse.* Adeòque jure civili auxilium promittitur servo, seu ancillæ, contra intolerabiles Dominorum injurias Magistratum invocanti *§. 3. I. de his qui sui.* Facit Seneca 3. de benef 22. *De injuriis Dominorum in servos, qui audiat, positus est, qui & sævitiam & libidinem & in præbendis ad victum necessariis avaritiam compescat.* Si itaque servus, ancillaque in committendis jussu Dominorum delictis non excusantur, quanto minus persona libera, licet famula sit, humilique min sterio dedita

Quantum ad secundum, quòd ministra ejusmod vina præbeat intemperantiæ; respicere legislator vide tur ad fragilitatem humanam: ipsa enim illa peccanc facilitas & occasio, ipsa illa cum hominibus libidinos conversandi necessitas, quæ in ministra cauponæ es cùm ad peccandum vehementer invitet, excusare qu

dan

dammodo peccantem, & si non tollere, mitigare saltem debet pœnam. Prout enim majori laude est dignus, qui in corrupta civitate, & medio lupanari castitatem servat; ac ille, qui ductus, tractusque per curas, & disciplinas virginum vestalium; cum hunc ars & necessitas, illum vero natura ipsa, fidelisque habitus à peccandi licentia revocet: ita quoque existimo, leviorem esse transgressionem illorum, qui continuis peccandi illecebris irritati, aliquando impingunt; quàm qui claustris legum, oculisque honestorum virorum custoditi, sic, uti volunt, errare sæpe non possunt. Egregie Claudianus in IV. Hon. Conf. vers. 262.

- - - Proclivior usus
In pejora datur; suadetque licentia luxum,
Illecebris effrena favet. Tum vivere caste
Asperius cum promta Venus. Tum durius ira
Consulitur, cum pœna patet:

Et Musladinus in rosario suo c. 5. *Si quis cum puella formosissima in conclavi solus desideat, fores clausas teneat, rivales dormiant, affectus stimulet, atque libido æstuet, perinde ut Arabs ait, Dactylus maturuit, neque hortulanus [quo minus carpatur] prohibet: Numquid putas, religiosa pietatis conscientia ipsum incorruptum fore? Respondet alter: Et si ille à formosa puella incorruptus manserit, à maledicentium tamen calumniis non incorruptus erit.* Et Cap. 8. *Qui consortium habet cum malis, etsi ipsorum ingenium non corruperit, ipsorum tamen consortio corruptus audiet: perinde ut quis tabernas frequentans, non [ibi] preces facere; sed vinum potare dicitur.* Videlicet, ut inquit Euseb. Hist. 2. C. 17. *Dissimilis propositi hominum contubernia & commercia, multum obsunt Philosophiæ:* agit autem de Ascetis, seu primæ Eccle-

...mnibus piis; qui, ut bonis operibus eo rectius vacarent, ab oculis hominum in hortos & campestria secreta se subtrahebant. Jam verò non potest tantùm, sed & debet omnino ad fragilitatem subjectorum respicere legislator, minusque exigere ab his, qui infirmi sunt, debilesque & multis expositi periculis, quàm à fortioribus, diligentique custodia circumdatis: equidem ob id rusticitati multa in jure condonantur, quæ alias exiguntur. *l. 2. § 1. ff. si quis in jus vocat. l. 7. §. 4. ff. de jurisd. l. un. C. si quis imperat. maled. Confer. Grotium de I. B. & P. lib. 2. C. 20. n. 31.*

Sed ad ipsum totius negotii caput. Sequitur ergo, *si Domina tabernæ fuerit, non est à vinculis juris excepta; si verò potantibus ministerium præbuerit, pro vilitate ejus, quæ in reatum deducitur, liberi, qui accusantur, abscedant:* ex quibus clare patet, lege Juliâ de adulteriis non humiles, vilesq; personas, sed illas tantùm teneri, quæ honestioris sunt ordinis. In verbis nihil dubii, quare ad mentē legis

Tenendum igitur est, sic omni jure caveri, ut optimus quisque maximè legibus sit alligatus, & quo quis i... eminentiori fastigio positus, eo magis verecundè & circumspecte vivere debeat. Qui enim dimissi in obscur... vitam agunt, inquit *Cæsar apud Salust. bell. Catilin. C. 51* quid diliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna eoru... pares sunt: qui in excelso ætatem agunt, eorum fac... cuncti mortales noverunt, ita in maxima fortuna, mini... ma licentia est. Non recusabit ergo mater familias, qu... nomen honoris & dignitatis plenum scimus esse, lege... hanc severitatis subire, quam non tantùm sibi, sed om... bus scriptam intelligit, qui remoti paulum sunt à ple... & conditione vulgi; *l 5. C. ad. S. C. orfit.* tanto magis, q... illa more majorum pudicitiam ac fidelitatem marito...

p...

pollicita; quia per bonas artes ducta & enutrita, à primis incunabulis didicit quid turpe, quid honestum, quid fugiendum, quid amplectendum: quia posita in luce & dignitate, peccare nequit absque offensione publica: quia denique justos, verosque liberos debet, non spurios, non suppositos, non immissos ex alieno. Quæ omniã si scit, si debet ancilla, certè non ad tantam summam debet; adeoque peccans, non erit tam atrociter & severè punienda, verùm ut ejusmodi, quæ sine cura & educatione adolevit, quæ virtutum & bonarum artium rudis, sæpe non intelligit vim præceptorum; quæ quasi privatim peccat, nec offendit exemplo mores populi; quæ peccat necessitate quadam, *cum obsequio famulatur servili*; certè, quod negari nequit, quæ non tã ex composito & præmeditato, ut materfamilias, cui castæ & pudicæ, certè sobriæ esse licet, verum occasione, per intemperantiam, quam libidinum matrem & fontem rectè dixeris. *Æquum autem est*, ait Demosthenes, *his, qui cum divites sint, mali sunt, magis irasci, quam his, quos egestas impellit. Nam apud humanitate utentes judices, necessitas aliquid adfert veniæ, cum si qui rerum affluenti injusti sunt, nihil habeant prætexti probabilis*, ut verissimum sit illud Terentii:

Duo cum idem faciunt, sæpe potes dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet,
Non quod dissimilis res sit, sed quod, qui facit.

Videmus ergo nihil novi habere legem, verùm solummodo antiquum hoc, ad personas aptandum esse jus: nisi forte hoc quis velit contra mentem, sententiamque regulæ, *à solis matronis* exigi rationem pudicitiæ, ancillis verò impune esse, quicquid turpiter & indecore faciunt: Dominas tantum plecti ob adulterium, ministras autem

fine metu versari in libidinibus, & prostituere corpus, nequaquam hoc curante Prætore. Ut enim nihil dicam, quam laboriosè defendantur servitiorum corpora ab infami hac dominorum contumelia, commendeturque per universum jus R. pudicitia; ecquis unquam fando audivit, præcepta juris, honestè vivere, alterum non lædere, unicuique suum tribuere, liberis tantum & ingenuis, non etiam servis, ancillis, similibusque ultimæ sortis & fortunæ hominibus esse præscripta? Esto autem solis hic matronis commendari castitatem, reliquas verò humilioris vitæ mulieres extra legis observantiam jacere, & pro lubitu corpus profanare! Esto quod distingui inter civilium & naturalium, seu divinarum legum ordinem, inter jussa Cæsaris & Dei velis! Quemadmodum enim Deus omnibus indistinctè hominibus pudorem, castitatemque præscribit, & sub gravi pœna commendat; lex enim divina non respicit personam, & præceptum de non adulterando tam servos quàm ingenuos tangit. *Quantum ad Dei cultum*, inquit Imperator in N 5. C. 2. *non est masculus, neque fœmina, neque liber, neque servus*: ita Cæsar frena sæpe laxat, nec æquali custodia omnium promiscuè fæminarum castitatem detinet: Malè an benè? non est hujus loci, cum Respublica, ut conniveatur, sæpe imperet, nec humanarum virium sit, omnes tollere affectus, quælibet eradicare vitia. Hinc igitur est, ut non quælibet in concubinam possit adsumi, sed illa tantum, quæ turpis jam vitæ, humiliorisque conditionis est. *In concubinatu*, inquit Marcianus in l. 3. ff. de concub. *potest esse & aliena liberta & ingenua, & maximè ea, quæ obscuro loco nata est, vel quæstum corpore fecit, alioquin si honestæ vitæ & ingenuam mulierem in concubinatum habere maluerit,*

sine

sine testatione hoc manifestum faciente, non conceditur: sed necesse est ei, vel uxorem eam habere, vel hoc recusantem, stuprum cum ea committere. Hinc quoque est, quod profiteri lenocinium, ingredi in scenam, exercere artem ludricã quæstus gratiâ non omnibus permittatur fæminis, sed vilioribus tantùm; additâ severiori comminatione, si quæ in fraudem legis, vilitatem, humilitatemq; simulet. *Facit l.10.§.2.ff.ad l.Iul.de adult. Mulier quæ evitandæ pœnæ adulterii gratia lenocinium fecerit, aut operas suas in scenam locarit, adulterii accusari, damnariq; ex senatus consulto potest.* Quam legem sic egregiè illustrat Suetonius in vita Tiberii C.35. *Fœminæ famosæ, ut ad evitandas legum pœnas jure ac dignitate matronali exsolverentur, lenocinium profiteri cœperant, & ex juventute utriusque ordinis profligatissimus quisque, quo minus in opera scenæ arenæque edenda senatus consulto tenerentur, famosi judicii notam sponte subibant, eos easque, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exsilio affecit.* Apud Athenienses extra legis pœnam erat mulier in taberna sedens & in foro res venales exponens; veluti post Brissonium refert *Ant.Matth.ad lib.1.38.tit.3. C.1.n 5.* Plura ejusmodi possent addi, nisi hæc sufficerent. Excipis, civitatem hæc Romanam sapere & ab usu apud nos recessisse! Minimè gentium; nam & hodie in quæstione stupri & adulterii inquirendum omnino esse censeo in qualitatem personarum, nec habendam pro adultera vilem, inhonestam, corpusque prostituere consuetam fæminam. *Viri,* inquit Lactantius de falsa sapientia *C.21 qui multas mulieres habent; nihil aliud dici possunt, quàm luxuriosi ac nepotes. Item mulieres, quæ à multis habentur, non utique adulteræ, quia certum matrimonium nullum est; sed prostitutæ ac meretrices sint necesse est.* Apud Cra-

vettam Conſ.166. prolixius diſputatur, non committi ſtuprum cum puella vel vidua humilis & abjectæ conditionis; natosque ex tali coitu non eſſe ſpurios, ſed capaces juris communis, maximè quoad materiam ſucceſſionis. Speciem aliquam juris hæc habent: num verò extendi ad alia quoque, & ſtatiui cum *Iulio Claro in* §. *homicidium n.56.* cum fœmina bannita adulterium impune committi? quemadmodum cum uxore tyranni, ex ſententia *Michaëlis Ephesii,* & praxi Troglodytarum, apud *Strabonem lib.16.& Diodorum lib.4.C.4.* aut generaliter cum Judæis poſſit, negantibus matrimonium eſſe inter civem & peregrinam, adeoque nec committi adulterium, de hoc merito dubitamus cum Grotio de *I.B.& P. lib.3.C.19.n.2.*

Equidem cum multis aliis, tum imprimis commotum fuiſſe legislatorem ad ferendum tam ſeveras de adulterio ſanctiones, ut familiarum ſplendor, dignitasq; adeoque ſalus totius civitatis eo rectius conſervaretur. Sic enim comparatum eſt, ut familiæ ſine civitate & contra civitas ſine familiis conſiſtere nequeant; una alteri porrigit manum, præſtat auxilium. Videatur *Cicero 1.off.* 17.*Cacheran.D.100.Mer. Conſil. 81.n.16.* Jam verò conſtat, homines viles, plebejosque vel plane nullam, vel ejusmodi habere familiam, quæ parum vel nihil ad Reipublicæ ſalutem confert; cum è contra una ſæpe honeſtior, nobiliorq; domus tales producat viros, qui Rempubl. plane ſuſtinent & ab interitu vindicant. *Cum Epaminonda,* inquit Juſtinus lib.6.C 8.*vires quoque Reipublicæ ceciderunt.* Et lib 19.1. *Cum duce vires panarum ceciderunt. Columen patriæ,* canit chorus apud Tragicum in Troadib. v.124. *mora fateorum; Tu præſidium Phrygibus faſſis, Tu murus eras, humerisque Tuis ſtetit illa decem fulta per annos:*

Tecum

Tecum cecidit, summusque dies Hectoris idem patriæque fuit. Apud *Tacitum An.2.C37.* Hortalus, *majores mei meruerant, ut posteros haberent.* Apud *Senecam Pat.4.contr.24.* Cimon Atheniensis: *ita mihi veros habere liberos contingat. Quod quantum sit, Milthiades expertus:* videlicet ut patri honesta contingeret sepultura, filius vicaria in se susceperat vincula.

Cæterum sic res in salvo necdum est, superest enim adhuc, an legibus adulterii viles, abjectæque personæ, quales sunt, quæ potantibus præbent ministerium, haud teneantur? ut enim familiarum conservandarum ratio moverit legislatorem, ad compescendum imprimis homines honestos; hinc tamen sequi non potest, ergo ad viliores legum cura & observatio non pertinet. Solent enim leges generaliter, omnibusque ferri civibus, non uni & alteri ordini, imprimis quando agitur de compescendis vitiis. *l.1 2.ff.d.L.L.* Equidem diffiteri non possumus, quia hæc vera sit & genuina legis sententia; videlicet non viles, sed solos honestos homines lege Juliâ comprehendi. Textus tam clarus est, ut nullam admittat dubitationem; & si locus illi esset, tolli continuo per similes leges posset. *Quæ stupro tibi cognita est,* inquit Diocletianus in l.22.C.de adult. *& passim venalem formam exhibuit, ac prostitutam meretricio more se præbuit; in ea adulterii crimen cessat.* Et l.23.pr.d.t. *Servi ob violatum contubernium adulterii crimine accusari non possunt.* Et Papianus in l 6.ff.de adult. *inter liberas tantùm personas, adulterium, stuprumve passas, lex julia locum habet: quod ad servos attinet, legis Aquiliæ actio & injuriarum competit.* & Cicero pro Cælio n.16. *Quid esset, in quo se non facile defenderet? Nihil jam in istam mulierem dico: sed si esset aliqua dissimlis istius, quæ se omnibus pervulgaret, quæ haberet palam*

decretum semper aliquem, cujus in hortos, domum, bajus, jure suo libidines omniũ commearent; quæ etiam aleret adolescentes, & parsimoniam Patrum, suis sumptibus sustentaret: si vidua libere, proterva petulanter, dives effuse, libidinosa meretricio more viveret, adulterum ergo putarem, si quis hanc paulo liberius salutasset?

Quare sic breviter statuo, verum & propriè dictum adulterium tam cum vili, abjectaque, quam cum nobili & honesta committi persona, at lege civili actionem adulterii tantùm concedi ratione posterioris, non verò prioris. Statuere quid ejusmodi me jubet unicum illud & immobile fundamentum, adulterium naturale non civile esse crimen. *l.42.ff de V.S.* adeoque non tam ex lege civili, quàm naturali metiendum; Hoc vero inter servos & liberos, humiles & summos, viles & egregios nullam facit differentiam, omnes sub eodem premit jugo, ab omnibus eandem corporis, animiq; requirit castitatem. *Non soli Atridæ uxores suas amant*, ex Homero refert *Vlpianus l. 13. §. 1. ff: de adult*: nec soli nobiles *et egregii, sed et illi, quos iniquior* sors ad vilia abjecit ministeria, purum, castumque exoptant thorum, imo sæpe præ aliis adipiscuntur. Egregie Juvenalis satyr. 6, v.287.

Præstabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva sinebant
Tecta labor, somnique breves, et vellere Tusco
Vexatæ, duræque manus, ac proximus urbi
Hannibal, & stantes collina turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala: sævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.
Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit:

Quare in hoc totius negotii vertitur cardo, an legislator sic eximere legum rigori et excludere ab actione ol

com-

commissum adulterium potuerit adulterium cum vili, humilique persona commissum? Si enim, prout peccatum ipsum, ita pœna quoque ejus moralis est, sane non paterit: neque enim ulli mortalium pœnam e.g. homicidii, similesque, cum moralis sit, et à Deo optimo Maximo injuncta, mutare pro arbitrio, et eximere quosdam ab actione legis Corneliæ, quosdam vero illi submittere licebit. Dum igitur mutat legislator, nec eam præcise dictitat pœnam, quæ tabulis divinis est expressa, sed pro variis circumstantiis modo hoc, modo illud in emendationem imperat adulteris; vel dicendum est, male agere Imperantes et negligere metam justi, rectique, quod tamen minime vellem; vel confitendum, arbitrarias esse adulterii pœnas, & posse Christianum Principem in uno levius, in altero atrocius adulterium vindicare; aut ut in terminis nostræ legis maneamus, honestas, egregiasque personas subjicere quidem legibus Juliæ de adulteriis, viles verò ab illis eximere. Et quid mirum? Jpse enim Deus O. M. adulterii crimen, quod naturaliter quoscunq; homines eodem obligare diximus modo, non tamen pari severitate punit, sed respectu utitur personarum. *Cum quis cubaverit cum ulla*, legimus Lev:19. v.20 *seminis concubitu, quæ sit ancilla, despecta*, alii, & ferè Orientales omnes, desponsata; ipsi Judæi Hispanienses, *sierva desposada à varon* vertunt. *Cuiqe, ut quæ omnino non redimitur, aut libertas non data illi; flagellatio adhibitor, ne morte afficiuntor*; Postquã paulo ante adulteros morte afficiendos esse sanciverat. Ecce unum, idemque adulterii crimen, aliter in servo, aliter in libero homine punitum.

Scimus cum legibus naturæ ita comparatum esse, ut posthabito omni personarum respectu, omnes pari jure adstringant, adeoque nihil amplius

Regi,

Regi, quàm infimo colono, permittant. Quare videmus æque capitis reum esse, qui mendicum & abjectissimæ conditionis hominẽ interfecit, quàm qui Principis vitæ insidiatur; Patricium qui injuriosa verba in Majestatem divinam profert, æque blasphemum esse, quàm hominem proletarium; Consulem ac Senatorem R. non minus honorem ac reverentiam exhibere debere parentibus, quàm qui est ex ultima plebe. Quin vel maximè in rebus conjugii hanc æqualitatẽ obtinere videmus, commendarique omnibus verecundiam, quâ homo à belluis distingui debet, *lex julia de adulteriis*, inquit Sextus Cæcilius apud Ulpianum in l.13. §. 1. ff. de adult: *ad omnia matrimonia pertinet*, & Pontifex in Caus: 29 *q.2.C.1.& 2. Omnibus nobis unus est pater in cœlis, & unusquisque dives & pauper, liber et servus, æqualiter pro animabus eorum rationẽ reddituri sunt. Quapropter omnes cujuscunque conditionis sint, unam legem, [quantùm ad Deum] habere non dubitamus. Si autem omnes unam legem habent, ergo sicut ingenuus dimitti non potest, sic nec servus semel conjugio copulatus ulterius dimitti poterit. Si quis liber ancillam in matrimonium acceperit, non habet licentiam dimittere eam, si consensu amborum conjuncti sunt, exceptâ causâ fornicationis: sed una lex deinceps erit per omnia et viro et fœminæ*: ut merito, nescio quid, redolere videatur illa lex, quæ ob commixtionem sanguinis aliam pœnam servo, quàm liberæ personæ infligendam jubet: quasi, remotis cautionibus juris civilis, non æque constaret matrimonium inter servum & ancillam, aliasque vilissimas personas, quàm inter cives & honesto loco natos. Facit Caus: 29. q. 2. C. 3. *Si quis ancillam suam libertate donaverit, & in matrimonium sibi sociaverit, dubitatur apud quosdam, utrum hujusmodi nuptiæ legitimæ*

esse

esse videantur, an non. Nos itaque vetustam ambiguitatem decidentes, talia connubia legitima esse censemus. Si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, & nihil impium, & legibus contrarium in tali copulatione fieri potest, quare prædictas nuptias inhibendas existimemus? Adde *Grot: de I. B. & P. lib. 2. C 5. n. 15.* Nec est, ut objiciat mihi quisquam, de vacua forsan, non de nupta, seu desponsata ancilla textum hunc esse capiendum; quandequidē Oleaster & alii nubili vel maturæ puellæ, non vero desponsatæ verba ea applicant. Præterquam enim, quod plerique alii legum, vocumque divinarum interpretes ab hac sententia recedant, capiantque verba de puella desponsata, seu addicta viro, nulla quoque subest ratio, quare Deus O. M. mortis hic supplicium prohiberet infligi, cum jam ante id lege expressā cavisset. *Exod: 22. v. 16.* Confer *Anton: Matth: de Crimin: lib: 48. tit: 9. C. 1. n. 5.*

Multominus adhuc commovet, quod Judæi & imprimis Maimonides, ad locum hunc excipit, videlicet ancillarum nuptias, non plane esse nuptias, nec sponsalia plane esse sponsalia; quippe jam monitum est, quoad matrimonii essentiam, nullum inter liberos, servilesque personas haberi discrimen, sed utrorumque conjunctionem γάμω nomine à patribus primæ Ecclesiæ exprimi.

Quin tanti quoq; facio quod ex *Gemara Babylonica ad tit: Gittin: C. 7. fol. 43* adduci solet, scilicet ancillam hanc, de qua sermo hic est, ejusmodi quam esse, quæ nec plenam adhuc nacta est libertatem, nec desponsata plenè, perfecteque alicui est. Conjecturæ sunt, contra mentem sacrarum literarum, totiusque orientis consensum & authoritatem tendentes. Seld. de J. Gent: & Nat: lib 5. C. 12.

Dicemus ergo legem hanc, ratione pœnæ, non simpli-

citer moralem esse & necessariam, sed habere quid admixti ex politia Hebræorum, adeoque Magistratum non obligare in conscientia, ad adulteros morte præcisè prosequendos, sed civiliter tantùm, id est, quatenus ad exemplum legis divinæ, pœna adulterii, secundum commoda Reipublicæ, usq; ad ultimum supplicium extendi possit? Sane videmus apud primæ Ecclesiæ Patres, aliam, quàm mortis, sanciri pœnam, *C.10. & .11. dist: 81. & C.9. D.28.* & in reliquis delictis non æque ignoscit lex, quando fratrem, qui est in servitute, occido? Dico fratrem, nam adulterium quoq; illud, quod ita leviter puniri diximus, cum Hebræa serviente, aut cum proselyta saltem justitiæ aut domicilii erat committendum, quandoquidem pollutio sanguinis cum extranea & gentili gravi pœnâ vindicabatur. V. Deut: 7. v. 3. & confer *Seldenum de I. N. lib: 5. C. 12.* ubi disputat, an prohibitio illa ad omnes omnino gentes, aut ad septem maledictas tantùm extendi debeat. Sed pergit Imperator, & hujus quoque asserti dat causam, videlicet, *ab his tantùm fœminis pudicitiæ rationem postulari, quæ juris nexibus detinentur; quas verò vitæ vilitas dignas legum observatione non credit, immunes esse à severitate stupri & adulterii.* Dura equidem primâ fronte oratio. Quippe non ab omnibus pudicitiam præcipuum matronarum decus requiri & exigi audio, nec omnes esse dignas legum, magistratusque curâ, quin animadverto quoque, durius adstringi, coarctarique matresfamilias, quam ancillas, nobiles, honestasque, quàm viles abjectasque personas. Quatenus durius alligentur matronæ quam humiles fœminæ, de hoc actum est. Quid verò sibi vult, indignas quasdam esse legum observatione? Repugnare enim id videtur naturæ & conditioni

legu

legum tam civilium, quàm naturalium: quippe lex dicitur communis Reipublicæ sponsio, cui omnes obtemperare debent. *l.1.l.2.ff.de LL.* Si ergo omnes, ergo non aliqui, ergo non ingenui & nobiles tantùm. Et quæ ratio foret, quosdam tantùm velle regere & coërcere, ut honestè, decoreque vivant, quosdam verò negligere, adeoque ad omnem licentiam & libidinem invitare? Sic igitur digni, indigniq; dicuntur, quatenus unius præ altero cura magis, minusve habetur; quatenus hic illo fortius ad virtutem, bonumque opus compellitur: ad exemplũ optimi, prudentissimique Patris qui plus indulgere servis, quàm liberis, duriusque coërcere sobolem consuevit, quàm vernos: aut ad instar boni Imperatoris, qui veterano imperare plus solet, quàm lixarum, colonumque ignobili turbæ. Eleganter Seneca de providentia C.1. *Inter bonos viros ac Deum amicitia est, conciliante virtute, amicitiam dico? Imo etiam necessitudo & similitudo: quoniam quidem bonus ipse tempore tantum à Deo differt, discipulus ejus, æmulatorque & vera progenies: quem parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut severi patres, durius educat. Itaque cum videris bonos viros acceptosq; diis, laborare, sudare, per arduum escendere, malos autem lascivire, & voluptatibus fluere: cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia: illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat, bonum virum in deliciis non habet: experitur, indurat, sibi illum præparat.* & C.4. *In castris quoque periculosa fortissimis imperantur & dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut præsidium loco dejiciunt. Hanc rationem Dii sequuntur in bonis viris, quàm in discipulis suis præceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior*

ſpes eſt. Hiſce igitur omnibus ſic poſitis, unum adhuc, quod ex lege hac liquidiſſima fluit, addimus, videlicet accidere nonnunquam, ut Principi contra communem juris regulam liceat minus, quàm privato, ut homo ingenuus & nobilis arctius, quàm vilis & abjectus ſit incluſus, conſtrictusque. Quamvis enim non rarò Principes, virique magni prærogativam aliquam habere, nec rigori legum ſic ſubjecti eſſe ſoleant, ut privati, plebejique; *Eximus,* inquit Quintilianus D. 4. *Per magnorum operum reverentiam à neceſſitate parendi, & magna nobis de virtutum favore libertas venit.* Et Florus lib. 1. C. 3. *citaverè leges nefas, ſed abſtulit virtus parricidam & facinus infra gloriam fuit:* Et Cicero pro Flacco h. 39. *M. Aquilium Patres noſtri multis avaritiæ criminibus, teſtimoniisque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum geſſerat, judicio liberaverunt. Conſul ego nuper defendi C. Piſonem: qui quia conſul fortis & conſtans fuerat, incolumis eſt Reipublicæ ſervatus.* Videatur *l. 3. §. 12. l. 5. prin & §. 6. ff. de re milit.* Contra accidere tamen quoque & nullam eos habere prærogativam videmus, imo quod magis eſt, ut vilis, innobilisque majori licentiâ, quam quisquam alius fruatur, non raro animadvertimus. Teſtis eſt hæc lex noſtra. Teſtis eſt omnis ſapientum turba.

Evenit vero id diverſis modis: ante omnia autẽ ſi quid ſcientes, volentesque, contra ſanam mentem, certamq; rationem committimus; imbuti notitiâ aliter agendum, aliter vivendum; verbo, quando contra illuminatam conſcientiam delinquimus. Cui ſecundum eſt, quando circa hæc peccamus, quæ dignitatem noſtram concernunt, aut malitioſe negligimus hæc, quæ aditum nobis & viam ſtraverunt ad honores dignitateſque, vel ut Alexander

der ad Abdolonymum, *ap. Curt.* 4. 1. *propter quod regnũ accipimus.* Porro cum delinquimus prætextu, colore, & velamento dignitatis: deniq; cum cumulati ante alios honoribus ac beneficiis, abutentes illis peccamus, nocemusq;.

Ordimur ergo ab illis, qui optimis literis, omnique rerum notitiâ sunt imbuti; si enim ejusmodi contra artem & scientiam, quam profitentur, quid committunt; aut postquam satis clare sunt illuminati, nihilominus vitiis se inquinant, quis est, qui eis ignoscet? quis est qui non singulari eos pœnâ afficiendos putabit? Ecquid aliter volunt verba hæc minantia Salvatoris: apud *Matt. 11. 20. Tunc cœpit cum probris increpare civitates, in quibus editæ fuerant plurimæ virtutes ejus, quod non resipuissent, dicens: Væ tibi Chorazin væ tibi Bethsaida: nam si Tyri & Sidone editæ fuissent virtutes, quæ editæ sunt apud vos, olim cum sacco & cinere sedentes, resipuissent. Quin etiam dico vobis, Tyro & Sidoni tolerabilior erit conditio in die judicij, quam vestra.* Quare etiam servus, qui scit voluntatem domini, eamque negligit, duplicatis verberibus castigatur, *Luc. 12. v. 47. 48.* milesque, ut peritus rei militaris, atrocius punitur Tyrone & novitio. *l. 14. §. 1. ff. de re milit.* Ita enim comparatum profecto est, omnium ora, omnium oculi in illos defiguntur, quos præ reliquis præstare virtute & scientiâ putamus: itaque cum summa omnia & egregia ab ipsis merito speramus, si parum deflexerint, nec per omnia opinioni satisfecerint, etiamsi mediocria faciant, & in aliis laudanda, vituperantur tamen & corripiuntur. Probe hoc sibi applicat Cicero, *pr. pro Rosc. Amer.* adhuc juvenis. *Ego,* inquens, *etiamsi omnia, quæ dicenda sunt, libere dixero, nequaquam tamen oratio mea similiter exire, atque in vulgus emanare poterit. Cæterorum enim neque dictum obscurum esse*

 potest,

potest, propter nobilitatem & amplitudinem, neque temere dicta concedi propter ætatem & prudentiam: Ego si quid liberius dixero, vel occultum esse propterea, quod nondum ad Remp. accessi, vel ignosci adolescentia mea poterit. Nec dissentit Tiberius apud Tacit. Annal. 3. 53. *Mihi neque honestum silere, neque proloqui expeditum: quia non Ædilis, aut Prætoris, aut Consulis partes sustineo: majus aliquid & excelsius à Principe postulatur.*

Idem fere statuendum de illis, qui neglecta dignitate, in qua constituti sunt, vitiis vulgaribus se contaminant. Cum enim illi, quos judicium fortunæ & publicus favor, supra cœteros mortales evexit, quasi norma & exemplum esse debeant, secundum quod inferiores vitam instituant ac mores componant, adeoque peccare quasi privatim & remotâ offensione populi non possint: quis indignabitur illorum peccata acrioribus pœnis subjici, cum & magis pateant, sintque in aperto, & facile alliciant inferiores ad imitandum. *Quemadmodum enim,* ait Plutarchus, *in facie lens & verruca molestiores sunt, quam reliqua corporis maculæ, mutilationes & cicatrices; sic exigua peccata, ubi in vita Principis cernuntur, pro magnis habentur.* Hinc Cicero pro Cluent. 40. *Ignobilis procedit sæpe longius cum suis vitiis, quam ille, qui est nobilissimus. Ut Quintius, si fuisset homo nobilis, quis illum cum ea superbia atque intolerantia ferre potuisset? quod eo loco fuit, ita tulerunt, ut, si quid haberet à Natura boni, prodesse ei putarent oportere; superbiam autem, atque arrogantiam ejus deridendam magis putarent, propter humilitatem hominis, quam pertimescendam.* & 1. verr. n 8. *Vos, quid ad famam vestram existimationemque, judices, pertinet, perspicite atq; consulite. Splendor vester facit, ut peccare sine summo Reipubl. detrimento*

mento

mento & periculo non possitis. Præclare inprimis Isidorus: *Quanto splendoris honore celsior quisque est, tanto, si deliquit, peccato major est. Tanto enim majus cognoscitur esse peccatum, quanto major est, qui peccat: crescit enim delicti cumulus, juxta ordinem meritorum, & sæpe quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur:* Nihil aliud vult Poet. Juv. sat. 8.

Quod si præcipitem rapit ambitus atque libido,
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramq; facem præferre pudendis.
Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Extat oratio Thebanorum contra Platæenses apud Thucydidem lib 3. *Neque vero prisca eorum decora, si qua extiterunt, audientes vos frangant: quæ injuriam quidem patientibus debent esse præsidio, iis vero, qui aliquid turpitudinis admiserunt, duplicare supplicium: quoniam nulla rationabili Causa peccaverunt.* Scitè Chrysostomus 4. de prov. *Ubi divitem videris injustum, avarum, rapacem; hoc magis eum miserere, quod talia dives faciat: ob id ipsum enim punietur gravius.* Nec ignoravit hoc Marius apud Sallustium, in invectiva illa in Nobilitatem: *Majores suos extollunt & eorum fortia facta memorando clariores sese putant, quod contra est: nam quanto vita eorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior, & profecto ita se res habet: Majorum gloria posteris lumen est, neque bona, neque mala in occulto patitur.* Nam ut ait Plin paneg. ad Traj. *Hoc primum habet magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patiatur: Principum verò non modo domus, sed cubicula intimosq; recessus recludit, omniaque noscenda famæ proponit & explicit.* Verissimum igitur est, in maxima fortuna, minimam esse licentiam; adeoque ut crimina augentur, ita & pœnam augeri ex dignitate peccantium. Hinc nulli quidem

fidem

fidem frangere licet, multo minus vero Principi. *Tirap. de nobil. C. 20. n 24. Menoch Consf. 58. n. 1.* Hinc sine dubio est, quod vestales stupro maculatæ, vivæ apud Romanos sepeliebantur, quod sacerdotis filiæ, quæ scortatæ erant, igne comburebantur apud Judæos, reliquis meretricibus longe mitiorem pœnam sustinentibus *Lev. 21 9.* Queritur de eo Nero apud Senecam *in Octav. Act. 2. scen. pet.*

Prohibeor unus facere, quod cunctis licet,

sapienter respondente præceptore ejus:

Majora populus semper à summo exigit.

Maxime autem abominabiles sunt illi, qui sub prætextu & velamento dignitatis, sanctitatisque in vitia ruunt, perpetrantque peccata sub titulo pietatis. Hi enim homines, cum ludibrio habent religionem, contemnunt magistratum, spernunt leges, tum occulta quadam vi nocent, instillantque venenum, priusquam illud sentias; tanto majori periculo, quia nescis eos peccare, adeoq; vix caves ab ejusmodi secreto malo. Ejusmodi pestem merito ante reliquos morbos horremus: Quare etiam gravioribus pœnis talis malitia alligatur. Cicero in Catilinam: *fuit ista quondam in hac Republ. virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem pernitiosum, quam acerbissimum hostem coercerent.* Quare clericos peccantes majori supplicio dignos putat Valentianianus *tit. 5 LL. Novellarum.* *Vehementius enim coercendus est, quem peccasse mireris: scelus omne gravius facit claritudo personæ. Intolerandum, nimis execrabile, non ferendum, induere nomen & titulum sanctitatis & abundare criminibus: Itaque quanto ipsum altius in sublime evehimus, si probe se ferat, tanto rursum gravioribus percellemus pœnis, si quid contra leges deliquerit. N. 26. C. 3.* Recte igitur Flaminius Prætor, ut abusus potestate

sibi

ſibi conceſsâ, majeſtatis reus accuſatur. *Apud Sen. contr. 25.* rogatus enim à meretrice, reum inter Cœnam occiderat, *adeoque luſerat Romani Imperii terrore.* Eruditè Florus. *lib. 3. 21. æquiore animo utcunque ferrem, ſi plebeii Duces, aut ſi nobiles, mali ſaltem, ducatum ſceleri præbuiſſent: jam vero, pro facinus! qui viri! qui Imperatores! decora & ornamenta ſeculi ſui Marius & Sylla, peſſimo facinori etiam ſuam dignitatem præbuerunt &c.* Et acute arguit Alexander Philotam *apud. Curt. 6. 7. Quo propiore gradu amicitiæ me contingis, hoc majus eſt diſſimulationis tuæ facinus.* Et Licas apud Petronium: *quod invidiam facis nobis, ingenuos honeſtosq; clamando, vide ne deteriorem facias confidentiâ cauſam. At amici fuerunt mei? eo majora meruerunt ſupplicia. Nam qui ignotos lædit, latro appellatur: qui amicos, paulo minus quam parricida.* Hinc ſapienter Cautum à Theodoſio, *l. 8. C. de Epiſcop.* clericos in teſtimonio dicendo eſſe audiendos, *ut tamen ſalva maneat litigatoribus actio falſi, ſi præsbyteri, hoc ipſo, quod nihil metuant, vera ſuppreſſerint. Multo magis enim pœnâ digni ſunt, quibus cum plurimum honoris per noſtram juſſionem delatum eſt, occulto inveniuntur in crimine.*

De illis, qui immemores ſunt beneficiorum, plena videmus ſapientum monumenta. *Etſi enim nulla lex poſita ſit ingrato, tanquam natura ipſa de hoc ſatis caviſſet,* ut eſt eleganter apud Senecam *4. de benef.* 17. Merito tamen vehementius puniuntur, ac illi, in quos parum eſt collatum. Plena majeſtatis eſt oratio Nathanis, qua Regi ſuo magnitudinem delicti exponit *2. Sam. 11. Ait Iehova, ego unxi te in Regem, ego te eripui è manu Saulis, præterea tradidi tibi domum dominorum tuorum, tradidi tibi domum Iſraelis & Iudæ, & ſi parum eſt, additurus fui hæc & alia Quare ergo ſpreviſti verbum Domini?* In eandem fere ſententiam Alexander apud Curtium *lib. 6. Quanto majorem,* inquit

in animis vestris, motum excitabo, cum tanti sceleris auctores ostendero? Parmenio illa ætate, tot meis, tot parentis mei meritis devinctus, omnium nobis amicorum vetustissimus, Ducem tanto sceleri se præbet. Pergit: *Pater Mediae praeest: ipse apud multos Copiarum Duces, meis præpotens viribus, majora, quam capit, sperat.* Et paulo post. *Philotam equitatui, optimæ exercitus parti, principibus nobilissimæ juventutis, unum præfeci: salutem, spem, victoriam meam, fidei ejus, tutelæque commisi: patrem in idem vestigium, in quo me ipsi posuistis, admovi. Mediam, quâ nulla opulentior regio est, tot civium, sociorumque millia, Imperio ejus, ditionique subjeci.* Quare cum judicio intelligendus Seneca 2. *benef.* 10. *Erunt homicidæ, tyranni, fures, adulteri, raptores, sacrilegi, proditores: infra ista omnia ingratus est: hoc tu cave, tanquam maximũ crimen, ne admittas: ignosce, tanquam levissimo, si admissũ est.*

Restat ergo nunc, quod est ultimum instituti nostri, quomodo humilis & abjecta vita aut excusat à crimine, aut certe mitigat aliquando pœnas. Cujus quidem tota ratio ex præcedentibus dependet. Ut enim jure optimo multa ab eo repetuntur, in quem multa sunt collata; ita certe majori umbra libertatis, aut licentiæ potius, frui debet, nec tam exacte observari, ad quem minor rerum cognitio pervenit. Usu hoc continue observari vid. mus. Incedat rusticus ebrius, clamore, vociferatione, tumultu omnia per vicos misceat; ridebitur & vix pauci erunt, qui hanc hominis insaniam ægrè ferent: at ubi in similem dementiam inciderit civis & ejusmodi, qui in honore & dignitate est constitutus, quam multos idem factum, sed à dissimili persona, offendet? quam prope erunt censores, & præfecti bonis moribus? Quare licent quædam, aut certe non subjacent legum rigori, quæ personâ, tempore, & loco mutato non licent. *Licet Flaminio ire in lupanar,*

inquit

inquit Seneca contr. 25. *si pracedentibus fascibus Prator illuc ducetur, Majestatem ladet. Licet mihi privato, quâ veste velim, uti: si prator jus in veste servili dixero, violavero Majestatem* Sic in jus vocati, si non iverint, graviter puniuntur, nisi quod sæpe numero *rusticitati hominis parcendum* l 2. ff. *si quis in jus vocatus non iverit.* Quod eleganter in graviori negotio inculcatum ab Imperatoribus Theodosio, Arcadio & Honorio l.1.§ 5.ff.de edendo l.un. C.si quis Imper.maled. *si quis modestia nescius & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto, nomina nostra crediderit lacessenda, eum pœna nolumus subjugari, neque durum aliquod aut asperum volumus sustinere: Quoniam si id ex levitate processerit, contemendum, si ex insania, miseratione dignissimum, si ab injuria, remittendum. Vnde integris omnibus hoc ad nostram scientiam referatur*, ut ex personis hominum dicta pensemus.

Multa igitur licent servo, aut infimæ sortis homini, quæ cum rigore observabuntur in viro nobili aut patricio: Multa aut impunita plene sunt, aut saltem prætereuntur, quæ leves fœminæ, & ejusmodi, quæ pudicitiam in propatulo habent, committunt, quibus matronæ ac Illustri fœmine æterna macula inuritur. Multa permittuntur homini obscuro & privato, quibus abstinere debet, qui in honore & magistratu positus est. *Quando meretrici datur,* inquit Ulpian. l.*4*.§.*3*.ff.de cond.ob turp.C. *repeti non potest: sed novâ ratione, non eâ, quod utriusque turpitudo versatur, sed solius dantis. Illam enim turpiter facere quod sit meretrix, non turpiter accipere, cum sit meretrix.*

Præclare olim ac sapienter antiquitas cavit, ne donationes fierent inter conjuges, verentes, ne mutuo amore invicem spoliarentur, donationibus non temperantes, nec esset iis studium liberos potius procreandi,

 cum

cum sæpe futurum, ut matrimonia discuterentur, si non donaret is, qui posset; atque ea ratione eveniret, ut venalitia essent matrimonia. De qua re eleganter Ulpianus *l.3.pr.ff.* de donat inter virum & uxor. *Majores nostri,* inquiens, *inter virum & uxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis æstimantes, famæ etiam conjunctorum consulentes, ne concordia pretio conciliari videretur, neve melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret.* Scire autem libet, quinam isti sunt, qui tam morosæ, at salubri legi, alligantur? illi nimirum, referente eodem Ulpiano *d.l.3* §.1. *quorum matrimonium moribus, legibusq; Romanis constat: si enim impedimentum aliquod interveniat, ne sit omnino matrimonium, donatio valebit.* Ergo si senatoris filia libertino, contra SConsultum nupserit, vel provincialis mulier ei, qui ibi meret; vel si in concubinam fuero liberalis, valebit donatio, nihil impediet lex, rata erunt omnia; ob nullam rationem, quàm quod legitimæ nuptiæ non fuerint *l.31.ff.de donat.*

Non credebant veteres Romani, esse è dignitate sua, ut filia senatoris liberto nuberet; quasi nimirum infames ejusmodi ac sordidæ nuptiæ, pollucrent sanguinem Victorum Gentium, Dominorumque Mundi. Quid? ejusmodi rigida ac severa lex, quamquamne præter nobilem & honestam simul obligabat? Ita profecto est: neque enim eas respiciebat formula, quæ turpem & indecoram vitam vivebant, splendoremque illum gentilitium maculabant nefariis & inhonestis moribus, sed illas tantum, quæ decenter, pie, casteq; degebant. *Quare senatoris filia,* ait Paulus *l.47.ff.de ritu nupt. quæ corpore quæstum, vel artem ludricam facit, aut judicio publico damnata est, impune liberto nubit.*

Permittebatur Romæ, tam ob multitudinem periclitan-

clitantium, quam ne justa matrimonia sollicitarentur, habere in prædiis lupanaria, prostituere puellas, nemini dominorum hoc irrogante infamiam. Hoc tantum cavebatur, *ne quis reciperetur à lenone, nisi postquam licentiam stupri, apud Ædiles vulgaverat; more inter veteres recepto, qui satis pœnarum adversum impudicas, in ipsa professione flagitii, credebant* Tacit.an 2.58. quare hoc peracto, non ancilla tantum, verum & domina, verum & ipsa Augusta teste *Iuvenal.sat.6.*

- - - Comite ancillâ non amplius unâ,
Et nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intrabat calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam atque suam.

At non tulit populus R. vagam ejusmodi & enormem licentiam, ubi primum reprimendi flagitii locus fuit, cavitque Tiberius *apud Tacitum 2. Annal.85. ne quæstum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus Eques Romanus fuerat*, obscurioribus integrâ manente licentiâ scortandi.

Eccui civium, modo sanæ mentis sit, nec intendit quippiam in fraudem legis, non ita permittitur rerum suarum administratio, ut emere, vendere res, quæ sunt in commercio, aliosque juris gentium contractus inire possit? Atqui hoc communi civium jure uti aliquando prohibetur provinciæ præses, aliique in officio & magistratu positi *ff.de Contr.Empt.* ne videlicet quis metu & reverentiâ alienare quid cogatur, præter voluntatem; aut ipsi, qui honores gerunt, nimio studio continuandi patrimonia teneantur, in præjudicium boni publici.

Nihil ergo novi statuit lex nostra, nihil aliud jubet, quam cum dignitate personæ, crescere quoque delicta, minusque licentiæ esse in Illustri & splendida vita, quam ignobili & obscura, adeoq; ut sanctã venerabilemq; merito retinemus, & in foro, vitaq; communi observamus.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I. Respublicæ sunt vel simplices vel compositæ.

II. Simplices sunt vel regulares vel irregulares.

III. Regulares sunt Monarchia, Aristocratia & Democratia, nec admitto divisionem Aristotelis qui contraria sive vitia harum Rerumpublicarum peculiares vult species, quia vitia Imperantium aut parentium, sive pravitas legum peculiarem speciem non constituit.

IV. Irregulares sunt qui ad neutrum harum classium quadrant, quarum propter varietatem occurrentem neque certus iniri numerus neque certæ constitui species queunt.

V. Ad compositas referunt mixtas quæ pro diversitate conjunctionis & mixturæ nomen sortiuntur.

VI. In genere autem Aristoteli definitur, quod sit Respublica ubi duæ vel plures Respublicæ in unam coalescunt, ut partim insint partim non.

VII. Nostrum igitur Imperium Germanicum neq; Monarchicum neque mixtum sed irregulare esse censeo.

VIII. Malè quoq; nisi saltem titulotenus vocatur Romano Germanicum quia neque formam illius neq; materiam habet.

IX. Contrarium quidem affirmare conatur Reinking. ex vaticinio Danielis, quod autem magis famæ quam veri habet.

X. Electores & Status Imperii plus valent in suis territoriis quam Imperator in Imperio.

XI. Nec Principes nostri ex Magistratibus, sed vetustissimis victarum Gentium Regulis, aut primariis familiis orti, nec unquam fuerunt subacti nec ditiones in provinciæ formam redactæ, sed potiùs in fidem susceptæ.

XII. Licet etiam Electores & Principes nostri adhuc dicantur Vasalli Ligii i. e qui Imperio contrà omnes opem debent, nihilo tamen minùs Illi non solùm Regibus comparantur, sed etiam ab iis fratres salutantur. Hi verò jus Legatos mittendi primi ordinis (quod aliâs summi principis) cum illis habent commune jus tamen regendi coram Regibus Christianissimus ipsis nondum concessit.

XIII. Legatus autem in genere est, qui mandati tabulas publico nomine habet atque incolumitate fruitur, quam illi jus gentium ex rationis naturalis dictato concessit.

XIV. Qui

XIV. Qui variè dividuntur & subdividuntur. 1. vel ratione intrinseca potestatis, vel adjectitii honoris.

XV. Priori modo vel ad certas solennes ceremonias vel ad aliud certum negotium dantur. Hi vel plenam vel minus plenam habent tractandi potestatem, qui plenam, mandatum habent cum liberâ ac Plenipotentiarii vocantur.

XVI. Cum adjectitio honore distinguuntur in ministros publico nomine missos & sunt vel Legati in specie ita dicti vel ablegati (Gallis vocantur Ambassadeurs & Envoyés)

XVII. Suntque vel Ordinarii vel Extraordinarii illi sunt qui nec ad certum tempus nec ad certum negotium, hi verò qui ob certam causam alicubi mittuntur.

XIIX. Sub appellatione ablegatorum ordinariorum sæpè intelliguntur Residentes.

XIX. Agens autem quia non habet literas credentiales sed saltem recommendatitias non inter ministros numeratur.

XX. Ultimò distinguuntur in commissarios & deputatos.

XXI. Illi sunt ministri qui jurisdictionem ejus à quo missi sunt non possunt egredi. Hi verò qui ad conventus publicos vel à Conventu publico mittuntur.

XXII. Patet igitur ex his Legatos huc negotiandi causa missos neque Legatorum in specie sic dictorum, neque Ablegatorum sed Deputatorum appellatione venire.

Quid labor, ars, virtus? mores quid denique præstent?
BERGHOFFERE sagax cognitione tenes:
Felix! dum PATRIS DEFUNCTI JUSSA securus;
Felix! DUM MATRIS VOTA PRECESque facis;
Conamen TUA TOTA DOMUS laudabile laudat,
Cum voto, UT CRESCAT GLORIA. LAUSque TUA.

Ita Nobilissimo Dn. Affini suo cursim gratulatur

CONRAD. Frantz J.U.D. Consil Hass. & Judicii Aul. Assess. Ordin.

Artibus in cunctis usus valet, atque Magister
Solus is in studiis optimus esse solet.
Non satis est etenim pervolvere sæpe legendo,
Auctorum varios nocte dieque libros.
Ni quoque, quæ solerti animo qui legit, ad usum
Transferat, & doctis auribus illa probet.
Hoc COGNATE facis: versare volumina juris
Hactenus assiduè cura laborque fuit.

Gratulor

Gratulor hisce Tuis coeptis: sic pergito cursu
Intrepido: spondet florida serta THEMIS.
Sic super astra vehet rapidis Te FAMA quadrigis;
Sic THEMIS ipsa Tibi præmia digna dabit.
Commoda multa feres PATRIÆ prodesse TUISQUE
Sic poteris Tibi quod, dulcis AMICE, precor.

Ita gratulatur Cognato, Amico ac Commensali suo honoratissimo
JOH. HENR. Kleinschmitt/ Jur. ac Phil. Pract. Profess.

WAs von den Helden sproßt / bleibt nicht an Erden kleben/
Was Tugend mit sich führt beweiset ihren Trieb/
Er hat sich vorgesetzt / nach Ehr und Ruhm zu streben/
Das lehret dieses Werck von der verbottnen Lieb.

Mit diesen wenigen wolte seinem Hertzwerthen Freunde auffwarten
Hans Ludwig von Baumbach.

HIer läst Er sich entblöst mein Freund ins Hertze schauen/
Und stellet was Er liebt ans helle Tages-Liecht:
Er lehrt wie weit man könn der Lust als Lust vertrauen
Und wenn uns das Gesetz von Ehbruch straffloß spricht.
Sein Thun ist Lobens wehrt: Die Schuld besteht im Lieben/
Worauff ja die Natur nicht Straff gesetzet hat/
Es pfleget solches zwar die Männer zu betrüben/
Doch also werde nicht belohnt sein guter Raht.

Dieses setzte aus Schertz- und Glückwünschendem Gemüthe
H. G. von Heßberg.

NOn mœchaberis. *Hoc Amico suo memoriæ causa apposuit*
Raab Bernd Ernst von Dalwig.

NOn opus eulogiis, ut multis paginam adornem,
Cùm studium laudes has cumulare queat,
Præsentem quòd discursum molimine justo,
BERGHOFFER præstes, OPTIMA JURA docens.
Isti Proposito Numen benedicat ab alto,
Instruat è solio mentem animamque TUAM,
In Themidos postquam sic concertaveris armis:
Pro tantis operis digna brabea feres.

Ita Præstantissimo DN. Cognato suo plurimum colendo ex animo gratulatur
JOHANN. Frantz.

TU quoties cathedram scandisti sæpe notavi;
Ascendis rursum non sine laude tua.
Mœchus, quid? Non Mœchus ais sum, nec volo jura.
(Quod prægrande nefas) lædere sacra tori;
Nec quod turpe, meret laudum præconia. Sed quid?
Hem lepidum factum! perge, faveque, Vale.

Sic Præstantissimo DN. Respondenti animitùs gratulari voluit ac debuit
Conrad Adam Müller.